

Johann Friedrich Greibziger

**Dissertatio Epistolaris De Areopagitis Sev Summo Iudicio Apvu Atheniensis :  
Qua Perillvstri Atque Excellentissimo Domino Friderico Ludovico De Kalitsch  
Serenissimo Principi Anhaltino A Consiliis Intimis Et Sacri Senatus ...  
Demendatum**

[Vitembergae]: Bossoegelius, [1743]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn83299846X>

Druck Freier  Zugang







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn83299846X/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn83299846X/phys_0001)

DFG




Kp - 395 (16.)  
Kp - 395 (16.)











DISSERTATIO EPISTOLARIS

DE

ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΑΙΣ

SEU

SVMMO IVDICIO

APVD ATHENIENSES

QVA

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO

DOMINO

FRIDERICO LVDOVICO  
DE KALITSCH

SERENISSIMO PRINCIPI ANHALTINO  
A CONSILII INTIMIS ET SACRI SENATVS

PRAESIDI

DYNASTAE IN DOBRIZ, NVTHE  
ET HAGENDORFF

RELIQVA

MVNVS PRAESIDIS IN SENATV ECCLESIA-  
STICO ET CONSILIARII INTIMI

A

SERENISSIMO PRINCIPE ANHALTINO  
CLEMENTISSIME

EI

DEMANDATVM

SVBMISSA GRATVLATVR

IO. FRIDER. GREIBZIGERVS

SERV. ANHALT. S.S. LL. CVLTOR

PRELO IOHANNIS WILHELMI BOSSOEGELI.





DISSERTATIO EPISTOLARIS  
DE  
APEOPATITAZ

SYMNO IVDICIO  
APVD ATHENIENSES

PERILLVSTRI ADOVE EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO  
DOMINO

FRIDERICO LVDOVICO  
DE KALLTSCHE

SERENISSIMO PRINCIPIS ANHALTINO  
A CONSILII INTIMIS ET SACRI SENATUS

DYNASTAE IN DORRIN, IN THE  
ET HAGENBORFF

RELIQVA  
MIVVS PRÆSIDIS IN SENATV ECCLESIE  
ASTICO ET CONSILIARI INTIMI


SERENISSIMO PRINCIPIS ANHALTINO  
SERENISSIMO

DEMANDATVM  
SVBMISSÆ GRATVLTVR

IO. FRIDER. GREIBNIGERVS  
SERV. ANHALT. S. L. C. C. T.

TRIELO JONAS DE WILHELMI BOTTENFELD





VIR PERILLVSTRIS  
ATQVE EXCELLENTISSIME  
DOMINE  
DOMINE BENIGNISSIME



uanquam ingenii mei vires, crebriori rerum  
meditatione, minus exultae sunt, nec est  
iudicium, in me, politum et subactum, ut,  
ea, quae quidem magnis ingeniis pensitan-  
da, aestimem, scriptis iam publicis decla-  
rem; Multis tamen nominibus ductus, hunc ingenii minus  
politi foetum, TIBI, quem submisisse ueneror, dicaui. Mul-  
ta insuper, quod fateor, me impedire atque morari potuif-

A 2

sent.



sent. Partim, iam allata ingenii imbecillitas, quae officio huic uix sufficit. Partim, quorundam hominum insolentia in dicendo, qui, omni ex genere, Scripta aucupantur et omnes undique flosculos carpunt ac delibant. Verum in hoc animi fluctu, uicit timorem, has ob causas, conceptum, colendi ardor, statuique potius, dum ea, quae ab officio meo non abhorrent, persequor, rem arduam aggredi, quam quiescendo, TIBI, uenerationem debitam, non significare. Praeterea, multa nomina, quibus, TIBI, obstrictus sum, animum se ipsum antea tardantem, reuocant, ac sequentes inprimis causae, ad hoc, quod uides, fuscipiendum, me mouerunt. Prima, ut fauori TVO, modo ex parte responderem, qui singulari beneuolentia, me, meumque Patrem, durioribus fortunae casibus afflictum, fouere coepisti. Altera est, ne ingrati animi notam, quam horreo, quaque nil turpius, nil ab humanitate alienius esse debet, desidia, atque TVORVM in nos meritorum, silentio subirem.

Placuit *indulgentissimo Principi nostro*, TIBI, *munus senatui Sacro praesidendi* demandare. Ecquis, TE, ad tale munus subeundum aptior? quis autoritate maior? quis prudentia rerumque cognitione ac usu assiduo superior? illud sane affirmare ausim; paucos aetatem nostram tali munere uidisse dignos, cui uero potiori iure, quam TIBI deferretur? tulisse neminem. Coelestissimum illud ac fulgentissimum os, quo, diui *Augusti* laudes, tantopere celebrasti, ad summorum TE oratorum fastigium euexit. Quam quidem ad eruditionem dignitatemque TVAM tam insignem, humanitas, pariter ac uirtus praeclara, accedit. Qua ductus, in hanc deuenisti cogitationem: nullum esse iudicium tam  
San-



sanctum tamque solemne, quin ab auaritia, detestanda humani generis lue, mirum in modum detorqueatur; Proinde iniuriosam hanc appetitionem, tanquam uitium tetrum semper sustulisti, quid nobilius? quid præstantius? Hinc euenit, ut non *Ioanni Augusto* solum, beata nunc animi tranquillitate fruente, in diuinarumque mentium sede delitiis omnibus circumfluente, uerum etiam *Ioanni Ludouico* sapientissimo Patri, ab immortalis Numine, ex singulari benignitate Patriae dato, et quasi coelo demisso, TE commendaueris, ut uterque consiliis suis adhibendum, TE existimaret; illisque TE ita probaueris, ut principatus maxima TIBI crederent negotia. Iam quid commemorem prolixam indulgentiam, cuius mirifica documenta *Christianus Augustus*, Princeps toga sagoque clarissimus, identidem in TE extare uoluit? Quae sane tam ampla sunt, ut, non dicam, laudibus exornari, sed uerbis enarrari uix queant. Verum largire benigne ueniam, ut proposita nobis, propterea, quod, TVO OFFICIO respondere uideantur, persequamur; et tantum quaeso huic nostrae commentationi relinquant, quantum uaces a publico officio et munere. De TVIS uero laudibus, nostrisque partibus, uberior, forte erit, dicendi locus. Iam uero de Areopagitis, quae dicenda uideantur, exponere aggrediamur.



Thef. Gro-  
nou. T. V.  
P. 2072.

Valerius  
Maximus  
Lib V. CIII  
in extern.  
n. 3. p. m.  
154.

**A**thenis totis nil illustrius esse Areopago, Vir dum in uiuis esset, clarus Meursius, omni dignissimus immortalitate, aperte et ingenue in suo Areopago confessus est. Quid iraque impedit? quid obstat? quominus de tam splendido atque omnium ferme partium studii experto iudicio, ita sentiamus; quum satis abundeque constet, Areopagi iudicium, multa sane fora, antecelluisse. Vnde talis tantusque honos Athenis accessit? quid? numne poteramus a ueritate deflecti? si sapientissimae Areopagi institutioni, tantum, omnes laudes, quibus Graecia, et in illa urbs Attica abundauit, tribuamus. Iustitia, omnium caeterarum uirtutum altrix, tanquam regina, primum, hoc in foro, obtinebat locum; Quilibet pretium pro factis ferebat; Recte factis praemia; Supplicia uero delictis decernebantur. Iudices, neutrius partis habita ratione, iudicabant. Gratiam, odium, pecuniae cupiditatem, procul faceffere iuebant, uerbo, iusti personam induebant, iniusti exuebant, quid nobilius? quid excellentius? Verum praestat, quo paulo curatius procedamus, ut, primum uocis, deinceps rei originem, ex ultima antiquitate repetamus. Areopagi uox e duabus uocibus *Arens* et *παιος* est suggesta, quarum, altera ipsum Martem, altera uillam quandam, in compositione ergo Martis uillam uidetur denotare. Nomen ergo suum, a Marte, adulterii, caedisque Halirrhothii Neptuni filii, hoc in loco, coram duodecim Diis, a patre accusato, condemnatoque accepit, ut fabulantur. Huic, igitur, iudicio, praeerant iudices ex optimatibus lecti, quorum munus erat, de omnibus delictis cognoscendi, conuentus qui fiebant in priuatis aedibus obseruandi, ac potissimum sacrorum rationem habendi. Ergo cuius haud contingebat, ob



ob rei grauitatem, Areopagitam fieri, sed iis tantum, *ex 7ων δε-  
δοικιασμενων* oriundis, summaque uirtute conspicuis. Tribunal  
fane honoratissimum, quod magna in ueneratione, etiam  
apud exteros fuit. Insignis, in hanc rem, locus est, Vale-  
rii Maximi, quem ob praestantiam ascribere non pigebit.

*Est et eiusdem urbis sanctissimum consilium Areopagus, ubi quid  
quisque Atheniensium ageret aut quonam quaestu sustentaretur  
diligentissime inquiri solebat, ut homines honestatem (uitae  
rationem memores reddendam esse) sequerentur.* En ipsius

Val. Max.  
Lib. II. c.  
VI. n. 4.  
p. m. 52,

Areopagi amplitudinem! De cuius quidem rei origine,  
magno, inter eruditos, opere, magna animi contentione,  
disceptatur. Vt, tantum non, uelut pedibus in diuersas  
sententias iuisse, uideantur. Nonnulli quaerunt originem,  
in Poetarum fabulis, anilibusque traditionibus, et in iudi-  
cio Martis, incunabula reperiri, opinantur. Alii ducunt  
initium huius rei, ex Cecropis, primi Athenarum regis,  
anno quadragesimo primo. Alii denique, in quorum sen-  
tentiam et nos imus, Solonem huius iudicii faciunt autorem.  
Verum haec res est admodum aduersaria, et hac in re, no-  
bis perdifficilis et lubrica defensionis ratio proponitur.  
Aduersatur Meursius; Obsistit Pollux, qui Draconem hu-  
ius fori autorem facit, et huic ipsi Plutarchus contradicit.  
Obstat ipsa Solonis lex! quid implicatius? quid obscuri-  
us? parum abest, quin ipsa ueritas supprimatur. Meur-  
sius, nodos quidem necit, uerum non soluit. Polluci, eo  
minus fides est habenda, quo minus Plutarchum ipsum ha-  
bet consentientem. Lex uero a Solone lata inuestigatio-  
nem meretur ulteriorem. Lex itaque, quam, quidem,  
nobis fert, Tabula XIII. ita in translatione legitur.

*Qui ante Solonem Archontem infamia notati fuerunt, in-  
tegra fama sunt; praeterea qui in Areopago uel apud  
Ephe-*

Thef. Gron.  
T. V. P.  
2078.



*Epheas siue item in Prytaneo a regibus damnati homicidiis aut latrocinii, aut tyrannidis affectatae, in exilium sunt missi, cum lex haec fuerit promulgata.* Fateor quidem huic tabulae aliquid obscuri inesse, sed quis non uidet? hanc tabulam seu legem, minus id probare, quod probare debeat. Dicit quidem Solon Πεν η Σολωνα αεζαι, sed quid impedit? Quo minus haec uerba ad Πλην σοισεξ Αρεισ Παγς referamus, nam haud consequitur, neque hoc ualet ratiocinium: Solon loquitur in antecedentibus, de iis, qui ante principatum suum infamia notati fuerunt. Ergo quoque in consequentibus, de iis, tantum, illi est sermo, ante eum, in exilium, ab Areopago, missis. Minus ualet consequentia. Quid? poteratne Solon in Tabula mentionem facere Areopagi, simulque eum instituere. Memorat Solon hac in lege Areopogitas, Ergo ipsum Areopogum haud instituit, sequi minus existimo. Sane omnes simul haud tulit leges Solon, sed subinde eas promulgauit. Accedit Lucianus qui in Anacharside Solonem ita loquentem introducit. *Et te o Anacharsi, in praesens Areopagitam constituto ac iuxta senatus mei legem auscultata, et tacere iube, ubi rhetorice senseris.* Nescio quid clarius? Solon, hoc in sermone, aperte Areopagum, (και κατὰ τοντης Εβλης με νομον ακρι,) *senatum suum* appellat. Sinuero cuidam animus sit, haec de Draconis legum emendatione interpretari. Sciat, se aduersarium habere Plutarchum, in uita Solonis, qui asserit: Draconem nusquam Areopagum dicere, nec Areopagitas nominare. Sed tempus monet, ut manum de tabula tollam, ne in certam Apollinis Musarumque incidam indignationem. Hanc sententiam, meam facio, propterea, quod, nec quicquam adhuc inueni firmius, quod tenerem, quam illud, quod mihi simillimum ueri



ueri uideretur, quum illud ipsum uerum in occulto lateret. Nunquam ab hac sententia discessurus, neque alium, uelut obtorto collo, ad eandem sum rapturus, nisi forte, ab alio edoceor meliora. Ex nouem itaque uiris, primum omnium, Areopagus constabat, processu uero temporis, non parum auctus fuit, ut trecenti amplius eum constituerent.

Quotamen pristinae consuetudinis atque instituti, non plane obliti uiderentur, nouem ex illis, qui annum gessissent principatum, his superaddere consueſcebant. Hi tot tantique uiri, quorum facta non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis, autoritatis decore laudanda, in rupem, iuxta arcem, noctu quidem, diudicatum ibant. Noctu, iudicium sub dio, et quidem remotis luminibus habebant. Locum iudicii Βημα, et lapides duos, ibi ex argento positos, alterum contumeliae, alterum impudentiae, nuncupabant. Hisce lapidibus, et quidem priori actor, posteriori reus, infistebant. Iudicia fiebant, principio, tribus uniuscuiusque mensis diebus, IV. III. Kal. postea uero VII. mensis, imo denique singulis diebus.

Die qua quidem, iudicium erat habendum, citabat maxima uoce, praeco populum, et praedicabat. *Audito popule! forum iuridicundo, quod bene ueritat, hodie constituemus, mensis Elaphebolionis (FEBRUARI), die septimo, quicumque actiones instituerunt, in Arcopagum ueniunt.*

Senatu congregato a confidente, silentium ac secessio, per uocem praeconis, uel oris, uel tubae, populo indicabatur, ne uero, Areopagitis accessus ad locum importunus esset metuendus, fune locus cingebatur, muniabatur. Ingressi igitur, omnesque ad iudicandum parati, contendentium parti, dicendi copiam permittebant; sic, litigantes uel ipsi mutuo uel oratore quodam adhibito causam dicebant,

B

hac

Thef. Gron.  
T. V. pag.  
2090.



hac tamen cautione, ut exordiis uel uerbis commiserationem mouentibus non uterentur. Simul ac aliquis proemio utebatur, ut benigniores sibi iudices faceret, aut miserationem aut uim orationis extrinsecus causae adderet, confestim praeco accedens, silentium imponebat, nullam prorsus permit- tens nugandi licentiam, ut breuior sim, rem ita agere debebat, ut, quae gesta essent, nude cernere Areopagitae possent. Miramur ergo Paulum, contra morem Areopagi, orationem habuisse longiorem. Hoc certe facere non potuisset, nisi Deus affuisset, qui, ut ipsa ueritas audiretur, uoluit. Post haec inter partes acta, statuebant de iure iudices, idque summo cum silentio, unde: Areopagita taciturnior, prouerbum fuerit ortum. Urnae duae ponebantur, calculi in eas immittebantur, et hoc modo sententiam ferebant. Urna altera erat absoluendorum, et *Ελεος* (*misericordiae*), altera condemnandorum, et *Θάνατος*, (*mortis*) nominabantur; qui itaque absoluebant, in priorem, quidam nabant in posteriorem, et utraque quidem pars calculum tribus digitis tenens, pollice, indice, medioque, eum, iniiciebant. Ipsos quod ad calculos attinet, olim ex conchis marinis, postea uero ex aere erant confecti, distincti tamen inuicem coloribus, ut absoluentium, albi, damnantium, nigri et perforati essent. Sacrorum habita ratione, calculum, de ara ibi posita, uel Minervae, uel Herculis, fumebant. Cognita causa, calculisque injectis, praeco urnas fumebat ac calculos e duabus in unam promiscue injiciebat. Dinumeratis, uero ex hac urna, calculis, porro de causa cognoscebatur, ac si plures nigri reperiebantur lineam in tabula quadam cera obducta longiorem, si albi, breuiorem faciebant. Verum hic, quod mihi maximam admirationem mouet, principio, tam sancte semper iudicatum fuisse, ut nunquam neque reus quisquam, neque actor



actor, de sententiae iniquitate, merito conqueri posset. Eandem ob causam exteri etiam ad hoc iudicium ueniebant, consultum. Egregius locus est Valerii Maximi, qui ita legitur. *Eadem* *baesitatione P. Dolabellae proconsulari imperio Asiam obtinentis, animus fluctatus est. Mater familias Smyrnae a uirum et filium interemit, cum ab his optime indolis iuuenem, quem ex priore uiro enixa fuerat, occisum comperisset. Quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegauit: quia ipse neque liberare caedibus duabus contaminatam, neque punire eam iusto dolore impulsam, sustinebat. Consideranter et mansuete populi Romani magistratus. Sed Areopagitae quoque non minus sapienter. Qui inspecta causa, et accusatorem et ream, post centum annos adesse iusserunt, eodem affectu moti, quo Dolabella. Sed ille transferendo quaestionem, hi differendo damnandi atque absoluedi inexplicabilem cunctationem innuit abant.* Ob tam magnam aequi et iuris obseruantiam, factum est, ut Areopagita, prouerbio diceretur: *Homo seuerus, et ius gratiae dare nescius.* Postea uero urbe subacta, quod uix ac ne uix quidem negare ausim, a uirtute priusca descuerunt: Corrumpebantur muneribus, dabant ius gratiae, in cubilia aliorum intrabant, uxoresque aliorum conueniebant, ac societatem cum maritis initam, fera sua sodalitate dirimebant. Potissimum sacrorum rationem habebant: unde factum est: Ut Plato, ob nouam de Deo conceptam opinionem, Areopagum tam ualde metueret: Ut Socrates, supremum uitae diem subire teneretur. Eandem ob causam Athenienses, Paulum quoque Apostolum, de Christo, tanquam nouo aliquo Deo uerba facientem, in Areopagum pertraxerunt. Cuius uero Areopagi finis, in tam diuturna latet obscuritate, ut explicatu difficilis, ac dictu quidem facilius sit, quando non

Val. Max.  
Lib. VIII.  
c.1. Ambust.  
n.2. 3. p.m.  
238.

Act. c. XVII,  
u. 19.



Lib. XXIII.  
Ep. I.

Thef. Gron.  
T. V. P.  
2080.

uerit, quam quando defierit. Videntur sustulisse Romani, redacta in potestatem urbe. Sed quis asserere audeat? plane sublatum fuisse, cum huius rei ipse Cicero, mentionem faciat. En! rem, tot tantisque difficultatibus circumseptam. Praeclara sunt hac de re uerba Meursii. *Certe fuit etiam principatu Claudii imperatoris, sub quo euangelium predicans Atheniensibus Paulus, ad Arcopagum ab aliis est abductus, uti testis Lucas c. XVII. Sed sublatum mox existimo imperatore Vespasiano, qui Achaiam uniuersam in provinciam redactam et tributum dare iussit et accipere item leges Romanorum.*

Temeritatis cuiusdam argui posse uiderer, si longiori commemoratione, patientia TUA, VIR EXCELLENTISSIME prorsus eximia abuterer: finem itaque meae commentationi uel potius tirocinio ingenii impono. Accipe igitur PERILVSTRIS DOMINE, leue hoc, animi obsequentissimi pignus, beneuolentia, qua inusitata admodum, Autorem hactenus es complexus. Nihil superest, quod addam, nisi uota, pro TUA incolumitate, pie concepta. Deum ergo immortalem supplex ueneror, ut, TE, Aulae seruestanae ornamentum, Reipublicae, Senatui ecclesiastico, totique Ecclesiae praesidium, perpetuo incolumem factum tectumque esse iubeat. Fortunet Numen TUA consilia, et *Principi, Vero Patri Patriae*, communique terrae seruestanae, Saluti, sacra: Tueatur TE contra omnes temporum iniurias fortiter, ut omnia, quae modo fausta felicia fortunataque sint, TIBI eueniant. Me tandem, una cum fortunis, studiisque meis, gratiae TUAE, quam deuotissime comitto. Dabam e Museo Vitembergae:


IV. Idus Maias A. R. S. c. l. c. CC XLIII.



















Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn83299846X/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn83299846X/phys_0020)

**DFG**



uerit, quam qu  
redacta in potest  
ne sublatum fuisse  
faciat. En! rem,  
Praeclara sunt h  
principatu Claudi  
Atheniensibus Pa  
uti testis Lucas e.  
Vespasiano, qui  
et tributum dare

Bib. XXIII.  
Ep. I.

Thef. Gron.  
T. V. P.  
2080.

Temeritatis  
commemoration  
prorsus eximia a  
ni uel potius tiro  
LVSTRIS DOMI  
beneuolentia, qu  
complexus. N  
TVA incolumitat  
supplex uenero  
Reipublicae, Se  
dium, perpetuo  
Fortunet Numer  
communique ter  
contra omnes te  
modo fausta feli  
tandem, una cur  
quam deuotissir

IV. Idus

o ( \*  
it. Videntur sustulisse Romani,  
Sed quis asserere audeat? pla-  
us rei ipse Cicero, mentionem  
e difficultatibus circumseptam.  
rba Meursii. Certe fuit etiam  
s, sub quo euangelium predicans  
copagum ab aliis est abductus,  
blatum mox existimo imperatore  
uersam in provinciam redactam  
pere item leges Romanorum.

rgui posse uiderer, si longiori  
TVA, VIR EXCELLENTISSIME  
nem itaque meae commentatio-  
impono. Accipe igitur PERIL-  
animi obsequentissimi pignus,  
dmodum, Autorem hactenus es  
quod addam, nisi uota, pro  
epta. Deum ergo immortalem  
ulae seruestanae ornamentum,  
astico, totique Ecclesiae praefi-  
sartum tectumque esse iubeat.  
a, et Principi, Vero Patri Patriae,  
nae, Saluti, sacra: Tueatur TE  
urias fortiter, ut omnia, quae  
aque sint, TIBI eueniant. Me  
studiisque meis, gratiae TVAE,  
Dabam e Museo Vitembergae  
S: cl: cl: CC XLIII.

